


05

A

2090





Q. D. B. V.
DISPUTATIO PNEVMATICA
De
ANIMASE.
PARATA,

Quam
In florentissimâ ad Albim Academia,

Ad Examen publicum revocant
PRÆSES

M. Ehrenfried Rothe/
Camentio-Lusatus,

&

RESPONDENS

THOMAS BENDEL,

Kemnitio Bohemus.

Ad Diem 15. Octobr.

Horis antemerid.

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,
LITERIS HAKIANIS clō Ioc LXX.

DISPUTATIO THEOLOGICA
ANIMAE
PARATA




05 A 2090

THOMAS BENDI

in the name of the Father
and of the Son
and of the Holy Spirit
Amen

LIBRARY MARKED BY THE
UNIVERSITY OF WÜRZBURG





Σὺν Θεῷ παλάμα.

PRÆFAMEN.



Nimiam consideratu-

rum, in quantum per mentis acumen licet, non circumforaneum nec in triviis circulisve natum moliri opus, nemini non prima primis modò labris Philosophiæ degustanti rudimenta est perspectissimum. Hâc enim in genere formarum quid simplicius? quippe quæ non tantum ratione essentiæ, sed etiam existentiæ immaterialis audit. Quò igitur aliquid simplicius, eò etiam est à sensibus nostris remotius, & consequentèr difficilius in illius cognitionem penetrare valemus: His accedit nostra ignorantia, quippe quum in propatulo sit, nos per Protoplastorum lapsum adeò esse corruptos, ut nostræ mentis oculi cæcutiant, interprete Græco, ὡς περ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος h. e. sicut noctuarum oculi, quando vertuntur ad lucem & solem: Hinc subtilis Scaliger scitè non minùs, quã



verè exclamat Exerc. CXXVI. *In luce rerum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori cæci sumus, in maximâ insanimus.* Quod effatum si ullibi, certè in animæ cognitione veritati consentaneum esse duco, quum omnes homines anima rationali quidem constant, verum haberi posse naturalitèr in hac vitâ quidditativam animæ jam dictæ cognitionem ab hominibus, *judice Petro Fonseca Lib. II. Metaph. c. I. q. 2. s. 6 p. 417.* verisimile non est. Quamobrem hoc institutum me ex facili, difficultate sua deterrere potuisset, quò minus hanc rem darem explicatam, verum pulchritudine sui invitatus pro ingenii mei modulo in animæ separatæ cognitione periculum facere non dubitavi. Ut autem rem distinctius exhibeamus, totam tractationem tribus includam sectionibus, quarum prima animæ separatæ quidditatem recenset, secunda problemata nonnulla expendet, tertia denique axiomata nobiliora adjiciet: Quod ut ex voto succedat, ad votum nostrum SPIRITUUM SPIRITUS dicat: *succedat!*



Sectio I. exhibens præceptum.

Anima est Spiritus dependens incompletus.

§. I.

Dari animam rationalem, neminem, nisi *ἀεὶ καὶ ἀνάγκη* laborantem, negaturum esse, sumus persuasissimi, quum existens

sententiam animæ negare, sit semetipsum negare, Præsentes enim operationes eam satis superque nobis dant probatam, quæ ab ipsâ, ceu rivuli à fonte, promanant. Olim tamen inventos fuisse Philoſophos, Dicæarchum scilicet & Aristoxenum, dicentes: *animam inane esse nomen, nullamq; ejus esse naturam*, refert B. Dn. D. Jac. Martini in *Exercit. Metaph. Lib. II. theorem. VIII. p. m. 555.* Verum, etiamsi horum virorum Autoritas tanta esset, quanta cæterorum nulla, Impuriam tamen esse eorum sententiam neque ullâ refutatione dignam, luce meridianâ clarius est. Animæ igitur separatæ existentiam præsupponentes ad ejus quidditatem inoffenso pede progredimur. Atq; ut rem ab ovo, *ut dicitur*, ordiamur, oportet prius, *juxta Scaligeri monitum Exerc. 1. sect. 1* vocis ipsius usum cognoscere, quo sæpenumerò provehimur in rei perceptionem. Evolvemus proinde primò ὀνοματολογία, quâ explicatâ accessum parabimus ad πραγματολογία.

§ 2. Ὀνοματολογία tribus constat membris, Etymologia, Homonymia, & Synonymia. Etymologiam (παρωνυμία seu nominis genuinam derivationem) quod concernit, Animæ nomen ἀπὸ τῆ ἀνέμου i. e. à vento deduci nonnulli sibi persuasum habent ob duas potissimum rationes. (1) quia Spiritus ille, qui bruta animat, vento l. flatui non est absimilis. (2) quia vox hebraica שׁוּפְפוּ in Scriptura Sacra primam animæ rationalis originem per modum inspirationis explicat, uti hanc derivationem defendere satagit Sigismundus Evenius in *disp. Anthropologicis disp. II. de anima in genere.* Verum sicut hanc derivationem pro genuinâ non agnoscimus, sed pro allusione potius habere tenemur: Sic cautam ignorantiam confiteri præstat & tutius est, quàm falsam atque adulterinam sententiam dare defensionem.

§ 3. Qua homonymiam (seu nominis multiplicē significationem) Anima non intelligitur hoc loco vegetativa, quæ, *definitore B. Sperlingio in Instit. Phys lib. 7. c. 4. p. m. 1005.* est forma plantarum, quâ nutriuntur, augentur & sibi simile gignunt: neque sensitiva, quam brutorum formam Physici nominant, sed rationalis & prout in statu separationis constituta est. Hinc etiam separata appellatur, quia à corpore separata per se subsistit. Notandum insuper hoc loco, de anima rationali aliter loqui Theologum,

logum, aliter Philosophum: Ille præcipit de ea ex revelationis principio, ubi à Deo dicitur primitus inspirata, & factâ tandem separatione aut naturalis unionis solutione l. particeps fit gloriæ aternæ l. obnoxia miseræ extremæ: Hic verò iterum diversimodè; *vel in Physiâ*, prout est forma Hominis, ejusque pars & principium essentielle, *vel in Pneumaticâ*, prout nomine Spiritus incompleti venit, & sic etiam hoc loco.

§. 4. Synonymiam aliter exprimunt Hebræi, aliter Græci, aliter etiam Latini. Hebræis dicitur vocabulum animæ $\Psi\Delta\Delta$, nec non $\eta\Delta\psi\Delta$ quod vocabulum propriè denotat animam humanam. *Vid. Buxtorf. in Lexic.* Græci (1) $\psi\chi\eta\eta$ vocant animam, $\alpha\pi\omicron\tau\epsilon\psi\chi\eta\eta$ i. e. refrigerare, (2) $\gamma\upsilon\mu\omicron\nu$ i. e. animum &c. In lingua latinâ animæ Synonyma dicuntur, (quamvis, quod monendum, omni ex parte non convenient,) partim animus, quo scimus & sapimus, partim mens, quâ intelligimus. &c.

§. 5. Declaratâ hætenus $\delta\nu\omicron\mu\alpha\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$, meritò delabimur ad $\pi\epsilon\alpha\gamma\mu\alpha\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$, ubi succedit annotandus primò *conceptus limitabilis*, qui duplex est, *propinquus sc. & remotus*. *Remotum exprimit* vocabulum *Spiritus*: Hunc conceptum verò esse legitimum, facile probari potest (1) *ex Spiritus descriptione*, quæ animæ rationali competit. Argumentari enim possumus. Quicquid est Substantia ratione essentiæ & existentie immaterialis, illud est Spiritus: atquæ anima rationalis est substantia ratione essentiæ & existentie immaterialis E anima est Spiritus: Major procedit à definitione ad definitum, l. servatâ analogiâ, à descriptione ad descriptum, minor constat, quia anima rationalis est ens. E. erit l. accidens l. substantia, non illud, quia non in alio, ut in subjecto, existit, E. erit substantia, quia autem hæc iterum duplex est, erit anima rationalis l. substantia immaterialis l. materialis: Hæc enim duo sibi invicem adæquatè sunt opposita; Quod si illam dicas materialem, erit corporea, adeoq; etiam quanta, quæ omnia tamen absona sunt & absurda. E. ultrò dandum erit, quod sit incorporea seu immaterialis. Quia v. substantia immaterialis iterum talis est vel ratione essentiæ tantum, vel ratione essentiæ & existentie simul: hinc cum prius de anima dici nequeat, remanet posterius, quod erat probandum. (2) *ex spiritualibus operationibus*: Quicquid

quid enim intelligit, vult & liberè agit, (incommunicabiliter in ordine ad communicationem κατὰ συνδύασις) id non potest non spiritus nomine venire. *Propinquus conceptus* exprimitur voce *dependens*, qua contradistinguitur Spiritui completo independenti: Dependencia autem animæ rationalis facili negotio probatur (1) *ab origine*, quia ab alio, à primo sc. ente, ceu à causa efficiente est producta. E. erit dependens. (2) *à multitudine*, quia unum tantum datur Ens independens, quod est Deus. E. anima non potest esse independens. *Conceptum limitantem* absolvit vocabulum *incompletum*. Notandam autem τὸ incompletum diversas obtinere significationes. In sensu *Logico* differentia dicuntur entia incompleta v. g. rationalitas; in sensu autem *physico* formæ materiales; sed has acceptiones remotas volumus retinentes *Metaphysicam*, ubi illud dicitur incompletum, quod in se terminatum non est, sed ad alterius perfectionem per se tendit: jam applicatione factâ ad animam, rem in vado esse arbitramur, quippe quæ in se terminata non est, ut Deus, Angelus &c. sed utique ad corporis humani perfectionem tendit ex suâ natura, ut cum eo faciat Ens completum. Observandum præterea est, τὸ incompletum respectu animæ saltem dicere communem & accidentalem differentiam, quâ quidem anima rationalis à Spiritu dependente completo discernitur, nequaquam tamen in esse specifico, (accuratè loquendo) constituitur: rem ita se habere, patet ex eo, quia completum & incompletum sunt affectio entis in genere; ubi duo tenenda (1) quod incompletum sit attributum cõmune, unde etiam materiæ, it. formis tribuitur (2) quod incompletum paronymicè prædicetur de ente, adeoq; etiam de anima: utrumque enim repugnat differentia specificæ, uti ex Logice constat.

Sect. II. proponens Controversias.

Controversia I.

*Utrum de anima rationali haberi possit
cognitio quidditativa?*

END

§. 1. Etsi τὸ ἐπεῖχεν hic præstaret, quàm mentem nostrã hac de re explicatam dare ob copiosissimam Adversario- rum multitudinem, nihilominus tamen; quia juxta axioma phi- losophicum, *multitudo errantium non parit errori patrocinium*, bre- vibus expediemus, unũ quẽq; suo abundare sensu permittentes, quid hac de re statuamus. Quoad τὸ ἐπεῖχεν observandum venit (1) non quæri de aliquali descriptione, quæ rem explicat per proprietates accidentales, sed de perfectã atq; logicã defi- nitione, utrũ hæc animæ conveniat, controvertitur: Debet e- nim Logica definitio constare genere & differentiã specificã ex prædicamentis desumptis. *Vid. Armand. de bello Visu Tract. II. cap. CCLXXXVIII. p. m. 540. B. Scheibl. in introd. Logic. c. 3. q. 1. num. 23. p. m. 253. Cl. Saurius Lib. 1. Log. part. propria sect. 2 c. 1 p. 445* (2) Distin- guendum est inter conceptum contrahentem quemlibet & ve- rã differentialem, hunc ab anima removemus, illum a ipsi con- cedimus (3) supponendum, cognitionem quidditativam dici, *definitoribus B Jac. Martini Lib. 2. Exerc. theor. 2. p. 680. & Cl. Meiero in Gnost. part. general. sect. 1. th 5. p. 201.* per quam totam rei essentiam & omnia prædicata essentialia usque ad ultimam differentiam penetramus. Cognitionis a. quidditatis est cognitio, quã rem co- gnoscimus quid sit, concipiendo quidditativum aliquod prædi- catum, non commune tantum, sed etiam proprium, sive conci- piatur per rationem positivam s. per negationem, non tamen ad- æquatè, exactè, intimè ac perfectè totam rei essentiam, ejusque ultimam differentiam attingat.

§. 2. His præmissis concludimus, animam rationalẽ nõ posse cognosci quidditativè, quod probamus (1) *ex Logica definitionis ab- sentiã*: Jam sic infero: *Quicquid non potest logicè definiri, illud etiam quidditativè cognosci nequit, at qui anima rationalis nõ potest Logicè de- finiri. Ergo.* Major patet ex inductione exemplorum: Minorem autem quod concernit, eam probamus, quia definitio perfe- cta s. rigorosè spectata rem debet declarare aut per partes essen- tiales Logicas, quod suprã demonstravimus, aut per partes es- sentiales phycas: jam fiat applicatio ad animam, & sponte sua
seque-

sequetur, neutrum harum posse ipsi attribui, quod probaturus sum his ratiociniis. (α) *quicquid habet materiam & formam, illud est corpus naturale, atq; anima non est corpus naturale. E. anima non habet materiã & formam.* Majorem duco esse fide dignam, minorem nemo negabit, stabit itaque conclusio. (β) *Quicquid non habet genus nec differentiam logicam, illud non habet partes essentielles Logicas, atqui anima rationalis &c. E. Major suffulta est omnium Philosophorum rectè sentientium consensu, Minor quoad membrum posterius probatur, quia ð incompletum tantum animã ab angelo differre facit, non autem in esse proprio constituit, non aliter ac τò completum respectu habito ad Angelum. Dicis: falsam nos habere descriptionem, cum alia in promptu sit, quæ meliorem in modum formale exprimat, sc. animam esse spiritum dependentem incompletum, propensione naturali ad corpus, extra quod existit, præditum.* Resp. posito hanc descriptionem esse optimam, quam & nos nullo modo pro spuriã agnoscimus; verum quid sequitur? sequitur sanè, formale desumptum esse tantum ab affectionibus seu propriis, quæ strictè sic dictam definitionem non constituunt. (II) *Ex cognitionis quidditative naturã.* Hinc argumentor. Cujuscunque entis non possumus assequi prædicata omnia essentialia ad ultimam usque differentiam, de eo nõ potest haberi cognitio quidditativa, atqui animæ nõ possumus assequi prædicata omnia essentialia ad ultimam usque differentiam. E. de anima non potest haberi cognitio quidditativa. Major procedit à definitione ad definitum, uti ex supra dictis patet: assumptionem probo, quia, teste experientiã & concedentibus ipsis Adversariis, multa anima nostra possidet, quæ nos latent. Accedit (III) & illud, quod anima nostra in prædicamentorum classibus poni nequeat, quia illud, quod est in prædicamentis, ens debet esse, omnium Logicorum confessione, completum: Tale igitur formari potest argumentũ: *Si anima est Ens incompletum, sequitur quod in nullo sit prædicamento, conseq. quod non possit quidditative cognosci. atqui verum est prius. E & posterius.* Major nititur regulis Marmellii ab omnibus Logicis rectè sentientibus concessis, quæ sic sonant:

*Entia per sese, finita, realia, tota,
Vox una & simplex rebus concinna locandis;*

B

Comple-

*Complexum, consignificans, fictum, polysemon,
Vox Logica, Deus, excedens, privatio parsque.*

Minorem damus probatam ex formali entis incompleti ratione, quæ est, in se terminatum non esse, sed per se tendere ad alterius perfectionem. Anima n. propendit ex natura suâ ad corpus suum informandum.

§. 3. Antithesin fovent Cajetanus in lib. de ente & essentia c. 6. q. 14. referente Cl. Meiero in Pnev. p. 771. aliique multi. Obj. (1) *de quocunque ente datur scientia, illud potest etiam definiri, atque de animâ datur scientia.* E. Resp. dist. inter scientiam perfectam seu in rigore talem, & inter eam quæ est ab effectu: quâ distinctione præmissâ, defectus majoris ita supplendus est: *de quoc. ente datur scientia in rigore talis, illud potest definiri, & sic negatur minor.* Quod a. à priori anima cognosci nequeat, probamus, quia non componitur ex principiis; quare scientiam ejus non facimus rigorosè sed analogicè talem: *Sed excipiunt Adversarii, scientiam analogicam esse veram atque propriè sic dictam scientiam, cum analogia veritatem rei non neget:* Resp. ultrò damus Adversariis scientiam analogicè talem esse veram scientiam; verum hoc quæritur, utrum hæc scientia præstare id queat, quod scientia perfecta, h. e. utrum id, quod analogicè scibile est, possit definiri, & illud nos ἀπολόμωος negamus. Obj. (2) *Quod non repugnet, dari animæ humanæ definitionem, imò de facto à multis data sit.* Resp. Distingvendo inter definitionem quidditativam & descriptionem, priorem competere animæ negamus, posteriorem concedimus.

Questio II.

*Utrum anima rationalis differat ab intelligentiis
specie vel numero?*

ex.

§. 1. Posterius affirmasse Originem lib. 1. πρὸς ἀρχαίον c. 5. & 8. ex Thomâ monstrat B. Scheibl. Lib. II. Metaph. c. 5. Tit. 5. art. 2. num. 82. Conimbricenses eandem tenuisse sententiam in Lib. 2. Arist. de anima c. 1. q. 2. art. 2. p. 76. innuit Excell. Meierus in Pnev. part. spec. c. 1. probl. 4. p. 774. Nos in §. 2. prius affirmaturi statum controversiæ,

hæ, ne more Andabatarum pugnemus, ritè rectèq; formabimur & attendemus, & quidem (1) distingvimus inter animam relativè & absolutè spectatam, de posteriori quæritur. . Quamvis n. eò audaciæ non devenimus, ut animam, si spectatur ut forma & respectum habet ad suum formatum, à spiritualitate velimus exclusam, nihil tamen minus, quia illa consideratio non est hujus fori, sed ad Physicam pertinet, eam impræsentiarum mittimus & de animâ separatâ tantum solliciti sumus. (2) Non loquimur de angelo latè sic dicto, prout & hominibus hoc nomen competit, sed de Angelo in famosiori significato spectato, quat. notat spiritum dependentem completum. (3) D. est inter diversitatem essentialè & accidentalem, de priori quæritur: De accidentali n. diversitate, quæ contingit ratione attributorû quorûcunq;, nullû inter nos & aduersarios est dubiû (4) D. est inter attributorû quorundâ communitatem, & inter eorundem specificam identitatem, illa quidem competit intelligentiis, hæc v. nequaquam. Sic v. g. immaterialitas & Angelis & animabus est communis, unde & anima & Angeli dicuntur Spiritus: Exinde tamen non sequitur, angelos & animam prorsus eandem & specificam habere essentiam (5) Dist. est inter unibilitatem formæ cum corpore ad constituendum Ens per accidens & Ens per se, prior competit intelligentiæ, posterior autem animæ.

§. 2. Nos hisce in medium adductis negamus intelligentias & animas rationales differre numero tantum (1) *quia essentia anime ex naturâ suâ est incompleta & partialis*: Hinc tale necimus ratiocinium: *Cujuscunque natura est incompleta & partialis, id ipsum non numero tantum differre ab angelicâ essentiâ, atqui anima natura &c.* E. Major probatur, quia angelica essentia est totalis & completa, jam autem quæ differunt ut completum & incompletum, illa plus quàm numero differunt: Minor ex descriptione, quam supra tradidimus, constat. [2] *quia angelus & anima rationalis specie diversa agnoscunt propria*; argumentor. *Quacung; entia diversa agnoscunt propria, illa non differunt numero tantum, atqui angelus & anima rationalis diversa agnoscunt propria.* E. propositio canonicâ gaudet Autoritate: proprium enim distinctum est nota distinctæ essentiæ: assumptionem probamus, quia anima agnoscit pro affectione propensionem ad corpus, quæ angelis

non competit. [3] *Ex absurdo*: quia, si intelligentiæ tantum numero differrent ab anima, non magis differret anima ab intelligentiis, quam anima Petri ab anima Pauli: Colligimus itaque: Si anima hominis ab angelo tantum differt numero, sequitur non magis differre ab Angelo, quam ab alia anima, sed posterius est absurdum. E. & prius: Consequentiam facile stabilimus, quia eorum, quæ tantum numero differunt, prorsus eadem est ratio discriminis (essentialis sc.). Hanc sententiam nostram fovent ex Scholasticis *Thomas Aquinas p. 1. q. 75. art. 7. p. 101. Cum angelus, inquit, forma sit separata non existens in materia, fieri non potest, ut sit unius speciei cum anima: Petrus Lombardus Lib. 12. dist. 1. sub lit. L. qui angelum creaturam anima digniorem, appellat p. m. 297. Ex Nostratibus B. DN D. Jac. Mart. in Exerc. Metaph. Lib. II. Theorem. IV. p. 599. B. Scharff. in Pneum. B. Scheibl. Lib. 2. Metaph. l. c.*

§. 3. Explanatis illis, quæ ad probandam & decidendam quæstionem videbantur necessaria, convertimus nos ad Adversariorum argumenta eorumque probationes, & quid roboris illis insit, videbimus. Opponit (1) *Origenes, nihil dari, per quod Angelus ab anima differat, præter id, quod hæc sit unibilis materia, hoc a. esse denominationem extrinsecam & ad discrimen specificum planè in sufficiens*, Resp. (1) falsum esse, quod unibilitas s. aptitudo ad unendum sese cum materia (essentialitèr sc.) sit attributum extrinsecus denominans animam, cum essentialitèr ex natura animæ fluat, adeoq; intrinsecè eam respiciat. Attributum v. extrinsecus denominans dicitur cujus forma denominans non est in subjecto, cui tribuitur, sed in alio, ut quando dico, paries videtur. (2) falsum etiam est quod anima tantum per hoc differat ab Angelo, quod hic non sit unibilis cum materia, illa v. sit unibilis, ostendimus n. modò, quod Angelus & anima in eo differant, quod hæc sit incompletæ essentiæ, ille v. completæ & c. Obj. (2) *ultimū, quod est in Angelo & anima, esse intellectualitatem. E. secundum intellectualitatem maxime distingverentur isti Spiritus, si distingverentur: At intellectualitas est utrobique ejusdem speciei. E. & ipse Angelus & anima sunt ejusdem speciei.* Resp. (1) confundere Adversarium prædicata par-

paronymica cum Synonymicis s. accidentalia cum essentialibus; Intellectualitas enim est affectio Spiritus, adeoque non potest ingredi conceptum Spiritus primum. Itaque (2) negamus, intellectualitatem esse ultimum illud, quod est in Angelo & anima, cum, uti jam diximus, *ὑπερσύνθετος* utrumque subjectum respiciat: Accedit & hoc, intellectualitatem esse attributum commune & , *ut vocant*, non ultimum: non ultimum a. esse & ultimum, implicat.

Controv. III.

Utrum anima rationalis intelligentiis nobilitate essentiali sit inferior?

ex q.

§. 1. Intelligentias non differre numero tantum ab animabus, satis superque in quaestione praecedenti probatum dedimus, consequens igitur nunc est investigare, utrum anima rationalis intelligentiis nobilitate essentiali sit inferior. Quare sine longiori verborum circuitione propoliturum *ζητήματα* exemplò aggredimur, praesupponentes, nobis sermonem esse (1) non de anima in statu unionis supernaturalis spectatam, qualis est anima Christi, sed de anima in statu naturali positam. Praeterea (2) quaeritur non de dignitate s. nobilitate *φανομένως* consideratam, quippe quae tantum nobis ita videtur, sed revera non est, verum *ὄντως* tali. Ex hac n. ferendum est iudicium. D. (3) inter completum & incompletum ejusdem & diversi ordinis: Inter ea fieri debet comparatio, non inter haec. Probè (4) tenenda est distinctio quam B. Scheibl. l. c. inculcat, inter ministros Hominum & inter ministros Dei ad homines, quales sunt intelligentiae. (5) D. inter ultimum, quae fines subordinatos & oppositos, ibi ultimum est dignissimum, non verò hic. (6) D. inter intelligentias tales l. tales & quae tales, de his loquimur. Caeteras distinctiones, quae huc spectant, B. L. videat in quaest. praeced. §. 1.

§. 2. Negativam arripit defendendam sententiam *Gregorius Venetus de Harm. mund. cant. 3. tom. 3. c. 2.* cui in §. 3 vi methodi nostrae satisfiet. Nos affirmantes quaestionem probamus: (1) *ab operatibus anima, quae ignobiliores angelorum.* Hinc tale nectimus argu-

B 3

men-

mentum. Cujuscunque operationes ignobiliores sunt alterius; id ipsum etiam ignobilius est altero, atqui anima operationes ignobiliores sunt alterius, angeli sc. E. anima etiam ignobilior est angelo: Major est extra controversiæ aleam posita: Operatio non insequitur potentiam, unde effluit; modus agendi arguit modum essendi & operationes indicant essentiam. Minor experienciâ constat: Sic unus Angelus occidit centum & octoginta quinque millia virorum in castris Assyriorum IV. Reg. XIX. v. 35. Stat itaq; firmo talo probatis præmissis conclusio. (II) Hanc nostram conclusionem probant nonnulli, quia, inquit, anima in statu unionis jungitur cum contrariâ materialitate ex naturâ suâ, cui immergitur, & hac ratione lucem spiritualitatis suæ tenebris materiæ permiscet, propter quâ conjunctionem anima quoque in rerum inferiorum immaterialium societatem quodammodo venit, & sic gradum minorem perfectionis, respectu puritatis angelicæ, obtinet.

§. 3. Stabilitâ jam satis sententia nostrâ ad tela, quæ adversæ partis asseclæ vibrant, excipienda properamus. Obj. (1) Deum de suâ substantia animam Adami creasse, cum in ipsius faciem inspirasset vitæ spiraculum, Hinc, inquit, colligi potest, animam esse nobiliorem Angelo. Resp. ex uno inconvenienti in principio, multa oriuntur inconvenientia in fine. Probent Adversarii illam præconceptâ falsam opinionem, quam defendere satagunt, aliàs petunt nobis principium. Nos contra sententiam hanc ita argumentamur. Si Deus animam Adami de sua substantiâ creavit, aut communicavit ipsi totam essentiam, aut tantum partem, si totam, verum erit, animam nostram esse Deum, consequenter infinitam, æternam &c. verum tandem erit, tot esse Deos, quos homines: Si v. partem, sequitur infallibilitèr, Deum esse compositum & divisibilem, quæ omnia plus quàm absurda, imò blasphemia sunt. (2) nostræ sententiæ sese opponit maximo nisu antea citatus Gregorius Venetus l. c. Quod Angeli, inquit, sint Spiritus ministratori respectu habito ad humanas mentes seu animas. At v. in propatulo est, ministros esse abjectioris & ignobilioris conditionis, quàm illi, quibus fit administratio. Verum Responsio in promptu est, repetamus modo distinctionem quartam S. i. Angeli equidem sunt ministri Dei, sed

non

non hominum: Ut res insuper evadat evidentior, dabimus instan-
tiam v. c. Tempore belli si alicujus exercitus Præses, qui tamē Prin-
cipis minister est, si, *inquam*, ab ipso Principe ablegaretur ad defen-
dendum rusticum à latronibus & aliis injuriis; estne propterea ru-
sticus à nobili defensus hoc bellicoso milite nobilior? sanè nequa-
quam. Nec aliter se res habet cum anima & Angelo. Stat itaq; sen-
tentia, angelū animā rationalē esse nobiliorem. Cæteras objectiones
quia discussit B. Scheibl. *loc. cit.* actum non agemus, si a. quædam su-
persunt, conflictui publico reservaturi sumus.

Sectio III. Declarans axiomata

Ax. I. Anima rationalis est indivisibilis.

Exθ. Procedit Canon non de indivisibilitate Logicā, quā res in plu-
ra ejusdē essentiæ & naturæ inferiora dividi non potest, uti indivi-
duum Logicis dicitur, ἀτόμον, quāsi non dividuū; sed valet de indi-
visibilitate physicā, quā aliquid in partes corporeas dividitur. Hinc
B. Sperl. in *Anthrop. p. 40.* Negs, inquit, anima in partes dividua, negs
*hec tanta capax majestatis: Non ibi pars & pars, non in frustra secan-
da res, sed nil nisi unum, nil nisi totum: Vid. & Instit. hujus desideratis fo-
mi Virip. m. 124.* Rationem, cur animam dicamus, indivisibilem,
desumimus ab ipsius inextensione. Hæc n. removet quantitatem,
quā remota tolluntur etiam partes, quas in se continet quantitas.
Hinc quia anima non habet partes extra partes, non potest non sequi,
illam esse indivisibilem.

Ax. II. Anima rationalis est immortalis.

Exθ. In limine statim distingvendū est inter immortalitatē indepen-
dentē & dependentem, de hac loquitur regula nostra. Prænotamus a.
hanc rursus dividi in immortalitatem per naturam & per gratiam.
Illa est, quæ non admittit corruptionem juxta potentiam naturalē:
sic v. g. Omne illud, quod nō corrumpitur, nisi per generalis divini in-
fluxus suspensionem, dicitur habere immortalitatem per naturam:
Hæc (immortalitas per gratiam) est, ubi ipsius subjectum, licet intra
se corruptionis principium habeat, speciali Dei actione conserva-
ri potest, ne pereat. v. c. si equus aut aliud animal, quod ali-
às à principio intrinseco corruptibile est, persisteret in æter-
num, id esset immortale per gratiam, non autem per naturam.
Deniq;

Deniq; hoc loco observandum, Ens immortale per naturam secundum quid aliquando etiam desinere posse per specialem DEI voluntatem, cum in suo esse DEUS T. O. M. ulterius conservare recuset. Agens enim liberum fuit DEUS in creatione, & est in conservatione. Hinc potuit & talia entia non creare, & potest etiam hæc creata non conservare.


Probatur

(1) Quia anima rationalis est Spiritus. Immortalitas enim est affectio Spiritus ut sic negativa, quidni & animæ erit propria. (2) quia anima nec in esse, nec in fieri, nec in operari à materia dependet. (3) Accedit consensus tum Veterum, tum recentiorum Philosophorum. Aristotelem animæ immortalitatem credidisse, testis est referente B. DN. D. Jac. Martini in Exerc. Metaph. p. m. 562. Zabarella, lib. de accret. & nutrit. c. 15. p. 811. Confer. B. DN. D. Scharff. Lib. 4. Pneum. c. 3. p. 212. qui placita, dogmata & testimonia Philosophorum Veterum collegit. Objectiones autem, quas contra hunc canonem ex Ecclesiastæ c. 3. vers. 19. & 21. Adversarii proferunt, videre solutas apud B. DN. D. Waltherū, Virum de Ecclesia orthodoxâ summè meritum, in Harm. Bibl. super h. l. p. m. 556.

Ax. III. Anima separata non est in tempore, neq; in aeternitate, sed in ævo.

Exθ. Confirmatur (1) de tempore, quia illud utrumq; habet durationis terminum, quod sc. neq; ratione initii, neq; respectu finis sit interminabile, proprièq; competat Corporibus naturalibus. (2) de aeternitate, quia hæc est duratio indefectibilis tam à parte ante, quàm à parte post: animæ autem talem non competere durationem, inaprico est, quippe quæ habet initium: stat itaq; axioma nostrum, animam esse in ævo, quod probamus, quia illud à parte ante quidem est terminabile, à parte post tamen est interminabile, quia caret fine: Sic anima nostra etiam initium habet, sed non finem, quod à nobis jam erat probandum. Atq; hæc sunt de multis paucissima, quæ de anima separatâ strictim & carptim dicere voluimus. Quod si alicubi offendimus, paratam nobis Cordati lectoris veniam scimus aut certè optamus. Interim Spirituum Spiritui persolvimus.

Debitas laudes & gratias.



ecun-
i vo-
recu-
nfer-
iam,

nim,
a.(2)
epen-
hilo-
testis
Zaba-
barff.
Phi-
hunc
, vi-
doxâ

in

rati-
fit
2)de
, qvâ
, in
m,a-
dem
ret
qvod
ima,
qvod
mus

05 A 2090


ULB Halle 3
003 783 219


WDA

64







Q. D. B. V.
DISPUTATIO PNEVMATICA
De
**ANIMA SE-
PARATA,**

Quam
In florentissimâ ad Albim Academia,

Ad Examen publicum revocant
PRÆSES

M. Ehrenfried Rothe/
Camentio-Lusatus,

&

RESPONDENS

THOMAS BENDEL,

Kemnitio Bohemus.

Ad Diem 15. Octobr.

Horis antemerid.

In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,
LITERIS HAKIANIS c1o 1oc LXX.